

viro omitto, ne longior fiam. Huic addit Raynaud, Ioannem Royal, qui Martyr charitatis gloriose obiit peste contactos adiuuans. Addit etiam Reuerendiss. P. Simonem Guicardum Ordinis nostri olim Generalem, de quo ait, quod, *Hæreticorum salubriter contundendorum munere diuinitus ita donatus erat, ut passim audiret Hæreticorum malleus non inani, aut speciosa magis, quam solida appellatione.* Ait demum, quod hic primus auctor fuit, ut Claramontanus Præsul societatem Iesu tunc nascentem in Gallias euocaret, & concludit, quod in procuranda salute cuiusdam Episcopi, occisus fuit. His addo Franciscum Humblot olim Ordinis nostri Zelosum, insignē Cōcionatorē, & hæreticorū expugnatorē acerrimū. Is scripsit contra phantasmata Caluini librum, & fertur fuisse ab hæreticis veneno extinctus. Plura huiusmodi Patrum nostrorum antiquorum exempla referunt Chronistæ nostri, Montoya, morales, Doni, Lanouius. Sed, & aliqua Patrum recentiorum non possum non connumerare. Et I. affero P. Franciscum à Longobardis Generalem à Summo Pontifice creatum. hic primus Missionarius Tuneti electus est à Congregatione de propag. fide, in quo munere obeundo quomodo se gesserit, constare potest ex his, quæ dixi to. 3. nost. priuil. cap. 4. à nu. 24. Deinde adduco P. F. Ioannem Pontium de Leone, qui Commissarius Generalis pro suprema Hispaniarum Inquisitione in tota Aphrica munus persoluit hoc tempore, quo hæc scribo, de quo mira possem dicere, si viuentem laudare permetteret Spiritus Sanctus. Fuit hic vir Regens studiorum in hoc Collegio Iesu Mariæ Genue circa annum 1625. & de eo solum testificor, quod proprijs oculis vidi, & manibus contrectaui; Non vidi toto vitæ meæ tempore Religiosum, qui plus ipso suam Religionem, & amaret, & zelaret: doctissimus vir in scholasticis disciplinis, ac in moralibus, & in concionando eloquentissimus, regularisque disciplinæ obseruantissimus. His duos alios insignes viros addo, qui pro animarum salute multa passi sunt, de quibus ait Th. Dépost. in hist. Eccles. gent. scot. Primus est Ioannes Brunus, de quo Dempster lib. 2.

Th. Demp.